

# ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

## D. ALBERTO COMITI PALATINO RHENI ET VTRIVSQUE BAVARIAE, DVCI CATHOLICO, &c. MOECENATI SVO.

M. Abraham Parstorffer Monacensis, SS. Theologiae Studiosus. S. D.



VANTO olim studio plaricq; homines elaborarint, ut ueterem Christianæ religionis dignitatem & amplitudinem penitus euerterent, Princeps Illustrissime: multo illustrius est, quam ut à me pluribus uerbis explicari debeat. Quis enim nescit, quantos tumultus, quam graves seditiones, pestiferæ nouitatis architecti, memoria nostra excitarint: Sacra, cærenonias, templa, & ne quid grauius dicam, Diuorum imagines, quibus hominum mentes, ad diuinæ bonitatis memoriam, assidue reuocantur, homines isti noui euangelij clarissimis disciplinis eruditæ, impie sunt demoliti, & ead audaciæ pleriq; progressi sunt, ut neç sacrarum literarum authoritate, neç sanctionibus diuinis, nec totius Ecclesiæ Catholice grauissimo iudicio, ab hac tam projecta audacia & temeritate, auocari posse uideantur. Quorum uitæ conditionem, miseram certe ac luctuosam, meritò sapientes omnes, uehementer dolere debent, quod non solum sibi, sed amplissimo etiam Christianorum ordini, pestem ac perniciem, omniumq; sanctitatum uastitatem, nefarie moluntur. Quare, Princeps Illustrissime, has assertiones, doctrinæ illorum maxime aduersas, ex publicis prælectionibus desumptas, publicè defendendas suscepisti, ac C. T. nuncupare uoluisti: partim, ut hac perutili ingeniorum exercitatione, uberiores eruditio[n]is fructus capere possem: partim, ut eidem C. T. meorum studiorum ratio, (quoniam in Philosophia non licuit) aliqua ex parte constaret. Quæ omnia, qualiacunq; tandem sint, ut grato animo C. T. suscipiat, uehementer rogo. Dabo ego interim operam diligenter, ut Reipublicæ Bavaricæ, cui me multum debere, ingenuè fateor, dignitatem & autoritatem, augere & amplifica re, Christo summo honestatis & gloriae coelestis architecto, authore, possim aliquando. Vale.

## ASSERTIONES DE ADORATIONE DEO, HUMANITATI, IMAGINI, CRVCI CHRISTI, SANCTIS, EORVMQ; SACRIS IMAGINIBVS ET RELIQVIIS, EXHIBENDA.

1. Cū multiplex sit adoratio, nec definitionem propriam admittat, ipsius tamen nominis significatum explicantes, dicere possumus: esse venerationem sive honorem, alicui ratione dignitatis ac perfectionis, qua excellit, interno externoq; actu delatum.
2. Hinc efficitur, vt sive Deo, sive rebus creatis adoratio tribuatur, præcipue quidem in actu mentis posita sit, secundo tamē loco in corporis actu, aut externo aliquo signo etiā verset.
3. Esi enim religionis summa in externis actibus aut signis ponit non debet, tamē nature hominis, mente ac corpore constanti maximè congruit, & perutile est, Deo imprimis, deinde, creatis quibusdam rebus, pro cuiusq; illarum dignitate, honorem habere.
4. Sunt autem hic constituta, quæ in quolibet adorationis genere vera cernuntur: Primum est, adorationem his tantum rebus propriè tribui posse, que mentes sunt, aut mente ac ratione constant, reliqui autem rebus, nisi spectentur, vt ad eas aliquo modo referuntur, nullus honor tribuendus est.
5. Secundum est, quod propriè ac primò adoratur, esse rem per se subsistente sive hypostasis, quæ in mente preditis, persona notiori nomine vocatur: Quod autem huiusmodi non est, sed in hypostasi subsistit, causam quidem adorationis esse posse, non autem propriè ac primò adorari.
6. Tertium est, adorationis causam esse quandoq; formam aliquam, ut sapientiam, potentiam, iustitiam, aliquando operationem, ut creauisse ac gubernare mundum, patriam defendisse, victoriā ab hostibus reportasse.
7. Quartum est, unitatem adorationis ex hypostasi potius, quæ adoratur, quam ex adorationis causa petendam esse, quæ in eadem hypostasi sive multiplex est.
8. Quintum est, eorum quæ adorantur, quædam propter se adorari, vt Deum, vt virum sanctum, vt Reipublicæ principem, quædam propter aliud in ipsi apprehensum ad quod referuntur, vt legatum, vt imaginem, vt partem, vt regis purpura aut symbolum.
9. Quamuis duplex ille honor, Latria scilicet & Dulia, quo Deum & quæ post Deum sunt, honorare solemus, à quibusdā fictitius esse credatur, nos tamē illum in vsu temperfuisse, tam apud Theologos antiquos, quam etiam recentiores, defendemus.
10. Imò ex diuina scriptura nō obscurè constitui, cum Augustino & patribus posterioris Nicenæ Synodi ostendere non est difficile.
11. Optimè autem latria describitur, vt sit virtus quædam per quam Deo tanquam uni primoq; creationis & gubernationis principio, internis externisq; actibus, cultum & reverentiam exhibemus.
12. Neq; Dulia, cum inter ea, quæ post Deum sunt, maxima reperiatur disparitas, incommodè in duliam propriè dictam & hyperduliam, tanquam virtutes specie differentes distinguuntur, quæ distinctio antiquior etiam est quam nonnulli arbitrantur.
13. Dulia propriè accepta, est cultus, qui pluribus rebus creatis, ob communem aliquam earum perfectionem, Hyperdulia vero, cultus & reverentia maxima, quæ homini ob singularem affinitatem quam cum Deo habet, tribuitur.
14. Est etiam alia adorationis distinctio, quam patres posterioris Nicenæ Synodi, ex literis sacris recte colegerunt, vt videlicet λατρία sit propria illa soli Deo debita seruitus & adoratio, προσκύνη autem sit communior quædam adoratio, quæ rebus etiam creatis frequenter tribuatur.
15. Vbi diligenter tum ex antiqua Græcicæ dialecto, tum ex sacris literis ostendunt προσκύνειν, quod nos adorare dicimus, idem esse quod ἀσπάζεσθαι, idem quod φιλεῖν, quæ verba salutare, amplecti & amare significant. Quod si expenderent sectarij, minus admirarentur nos rebus varijs adorationem tribuentes.
16. Cum res per se subsistens propriè adorari dicatur, humanitatem & diuinitatem Christi, nō duabus distinctis adorationibus, sed vna & eadem adorari volumus.
17. Inde tamen non sit, vt diuinitatem ipsam cum humanitate confundamus, vnam scilicet naturam & essentiam, quæ adorari debeat, constituentes, sed personam ipsam vnam cum carne seu humana natura assumpta, adorandam esse dicimus.
18. Quamuis humana natura Christi per se considerata, hoc est, à persona filii Dei re, aut ratione sciuncta, neq; dulia neq; latria adoranda sit, cum non sit hypostasis, considerata tamen, vt res personæ verbis coniuncta, adorationem latriæ sibi vendicat.
19. Hæc est causa, cur Augustinus humanam Christi naturam à persona verbi sciunctam adorandum esse negat. Hinc Synodus Constantinopolitana, quæ quinta generalis dicitur, duas adorationes Christo Deo & homini seorsum contra Nestorianum tribui vetat.
20. Si vero res adorata poneretur (vt poni debet) hypostasis filii Dei, & ratio sive causa adorationis assignaretur humana natura, prout omni munere gratiarum ornata atq; cumulata est, tunc Christus non latria, sed hyperdulia adorandus esset, quo tamen modo adorari in Ecclesia non confuerit.
21. Benè à Damasceno assertum fuit, non solum personæ verbi & humanae naturæ assumptione, sed etiam totius Trinitatis, eadem esse latriæ adorationem.
22. Quia adoratione etiam Christum, in Sacrosancto illo Eucharistia Sacramento, adorari debere, pro certo habendum est.
23. Quocirca damnandi sunt sectarij, qui Eucharistiam, in qua esse fatentur præsentem secundum substantiam Christum, non esse adorandam existimant.
24. Beata autem & gloriofa virgo Maria ob maximam, quam cum Deo habet coniunctionem, non dulia communis, sed præcellenti illa, quæ alio nomine hyperdulia nuncupatur, adoranda est.
25. Quare & eius Imagini hyperdulia honor suo modo tribuendus est.
26. Eadem est secundum analogiam reliquorum sanctorum hominum ratio, vt enim quisq; illorum dulie honore aliquo dignus est, sic eius imago eodem honore, vt imago est, affici debet.
27. Malè eos facere, qui sacras imagines abolendas censem, non solum ex patribus & Oecumenicis Concilij manifestum est, verum etiam ratione & traditione Apostolica constat.
28. Nos igitur, cūm non parua cūm olim fuerit, tum modò sit controuersia, de h[oc]dem aut retinendis aut exterminandis, asserueramus Christi, Beate Dei genitricis, sanctorū hominū & angelorum imagines, in Ecclesiæ Christianorum legitimè retineri atq; depingi posse.
29. Hęc autem, prout res quedam sunt & spectantur sive ex forma, neq; adoranda neq; veneranda sunt, prout tamen sunt Imagines, vel Christi, vel sanctorum hominum, non tantum ad memoriam & ornatum locorum, vt quidam putant, habendae sunt.
30. Sed iuxta varietatem prototyporum & exemplarium, quæ honore & adoratione digna sunt, honorari & adorari debent, imò eundem censemus illis honorem tribuendū, modo tamen diuerso, qui ipsi exemplaribus deberunt.
31. Et quamvis actus honoris exteriores, vt sunt capitales nudatio, genuflexio, deosculatio & his similes, sicut corā Imagine, ciq; deferrī videantur, non idem tamen in Idololatriæ notam, quemadmodum falsò nobis impingitur, labimur.
32. Transeunt enim hi actus, sicut & quilibet alij interiores, ad ipsum exemplar & prototypum, in ipsoq; non in imagine terminantur, vt cum Sancto Basilio Patres Nicenæ & Tridentinæ Synodi docent: Vnde non immergitò dici potest, aliquo modo honorandas esse imagines, aliquo modo non esse honorandas.
33. Est etiam animaduersione dignum, quod, eti aliquid actus externus ad latram tantum pertineat, vt sacrificare, hi tamen quos recensuimus, promiscuè cum in latræ, tum in dulie honore habendo vsurpentur.
34. Quare, qui sacras imagines idola nominant, & qui Ecclesiæ propter venerationem illarum, idololatriæ accusant, eos ipsa Ecclesia Catholica, tū olim, tum hac nostra memoria, anathemate damnauit.
35. Hinc etiam imagines tam pietas quam sculptas, quæ oculos perstringunt, mentem corrumpunt, & ad turpes res perpetrandas incendia parant, licet ad representandam rem sacram sint posita, dicimus, autoritate illorum qui Ecclesiæ præsunt, iuxta Tridentinæ Synodi decreta, tollendas esse: & ne similes in posterum ponantur, sedulò cauendum.
36. Cum idem honor habendus sit imaginis, qui representato per imaginem habetur, Christusque latræ adoratione adoretur, imago quoq; eius, vt non ineruditè D. Thomas cum plerisq; scholæ Theologis hanc questionem discutiens, cōcludit, eadem adoratione adoranda erit.
37. Hinc tamen non sequitur per imaginem eius, nudū tantum hominem, vt Iconoclasti fieri putant, representari, sed per eam Deus & homo verus nobis veluti ante oculos ponitur.
38. In imagine creatæ viua, qualis est homo vel angelus secundum se, Deus latræ non est propter periculum adorandus, quod tamen in alia imagine aut signo ratione carente, ad id tamen significantem instituto, fieri potest: Nihil tamen impedit quin imaginis viventis consideratione, ad Deo latram tribuendam excitemur.
39. Quod autem non obscurè Nicenæ Synodus secunda docere videtur, nulli imaginis, nec Crucis Christi, latram esse tribuendam, id non pugnare cum D. Thoma & plerisq; scholæ Theologis arbitramur.
40. Si quis autem hanc in re, à scholæ sententia sibi discedendum putet, (quod graues quidam viri fecerunt) dummodo Nicenæ illius & Tridentinæ Synodi doctrinam sequatur, eum minimè damnamus.
41. Nullo modo licet habere vel efficere imagines Trinitatis vel personarum diuinarum, precipue Patris & Spiritus sancti, ea intentione, vt per illas diuinitas ipsa effigi possere creditur, quod idem Damascenus, hac de re scribens, significare voluit.
42. Benè tamen retineri possunt, si efformentur tanquam ligna, quibus personæ diuinæ in veteri aut novo Testamento apparuerunt, vt videlicet per ea in diuinæ, immaterialis, purissimæq; substantiæ cognitionem quoquo modo deueniamus, & ad eius adorationem frequentius excitemur.
43. Crucis non tantum illi, in qua salus nostra peperit, verum cuiusvis alteri ex qualibet alia materia confecta, que tamen crucis imaginem & formam retinet, sive interim habeat effigiem Christi crucifixi, sive non, latræ adoratio tribuenda est, quæ non in ea sifat, sed ad Christum, cuius ea imago aut certe signum est, transcat.
44. Quamuis non negemus etiam inferiori quodam adorationis genere illam honorari posse, quatenus videlicet non eodem actu simul quo ipsum prototypū, sed separatim honoratur, & aliquid Christi seu instrumentum nostræ salutis esse concipiatur.
45. Lignum crucis, in qua Christus reuera passus est, licet hoc præ ceteris habeat peculiare, vt non solum ratione figura, sed etiam, quia contactu corporis Christi sanctificati est, adorari soleat, si tamen careat figura crucis, dicimus, ob solum contactum preteritum non esse latræ adorandum, sed vt è prætiosissimi reliquijs vnam, adoratione singulari honorandum.
46. Sacris Christi aut sanctorum hominum reliquijs venerationem debitumq; honorē tribui debere, tum Scriptura diuina docet, tum traditio constans Ecclesiæ, & contraria sententia damnatio iam olim promulgata, confirmat.
47. Sacrarum autem reliquiarum nomine, res illas intelligere possumus, que vel Christo vel sanctis hominibus, ratione aliqua coniunctæ, vel ab h[oc]dem tactu vel vsu quoquo modo sacrate fuerunt, vel ex aliquo opere diuinitus edito seruantur.
48. Non tamen pari honore omnes reliquia sacrae afficienda sunt; patet enim eas, quæ coniunctiores fuerint illi propter quem honorantur, magis honorandas, quam eas quæ minus fuere coniunctæ.
49. Patet etiam, si cetera paria ponantur, reliquias Christi maiore dignas esse honore, quam Apostolorum principis, & huius magis quam simplicis martyris aut confessoris.
50. Itaq; reliquijs sacris similis adoratio tribuenda est secundum analogiam, quæ & ipsis rebus debetur, propter quas honorantur.

A d laudem & honorem Dei Omnipotens, ac Beatisimæ virginis

Defendentur Præside uno ex Doctoribus Theologis Die 18. Mensis Iulij, Hora 7. Anno M. D. LXXI.

INGOLSTADII EX OFFICINA VVEISSENHORNIANA.

M fl. 1571.

47

三

DOMINI AG DIGNIPI FRISSOM STRASBURG

FVAS DEO.

Dwight C. T. D.

EXCEDEBAT MAESSENORIUS INGOTS TUDII  
anno M.D.LXIX